

1. Meta-  
phys. cap. 3.

dij & profectus specimen in collegio Theologico, cuius ipse præsidem agebat, magna cum laude edidit: & sic ipso facto quid quantumq; hætenus industria sua acquisivisset est testatus: Nam dicente Philosopho, ὅλως σημεῖον τὸ εἰδὸς τὸ διδάσκειν διδάσκειν ἔστι. *Certum artificis signum est, idem posse docere alios.* Ac verissimum est, inane & imperfectum esse omne tuum studium, nisi quæ didiceris, tum ad tuum, tum ad publicum usum converteris, quo diligentia tuæ tu ipse & alij fructum aliquem capiant.

Hæc LOBETHII juvenis industria & in docendo dexteritas, cum Hamburgæ quoq; innotuisset: amore ejus etiam absentis, inflammati Viri patritij & alij, suum illum esse expetiverunt: indeq; paulò post contigit, ut institutioni ejus tres adolescentes patritij, omnes jam magnæ dignitatis & egregiæ virtutis viri, commendati sint: cum quibus ille quod metam in hac schola hac quidem vice sibi propositam, aliquo modo assequutus esset, & ut sacrum Theologiæ studium hîc non malè inchoatum, tantò continueret felicius, accedente consensu & voluntate patronorum suorum, in *Academia Heidelbergensem* concessit. Præterquam enim quod scholam illam loci amœnitate, sermonis germanici suavitate ac puritate, rerumq; omnium abundantia nulli secundam esse audiverat, suis quoq; ac discipulorum studijs eam non incommodam fore ratus est. Verum ubi eò venit, & pristinam *Academiae Lutheranae* faciem in Calvinisticam mutatam vidit, ejectis post obitum Christianissimi *LUDOVICI Electoris*, *TIMOTHEO KIRCHNERO*, *PHILIPPO MARBACHIO* Argentinensis *Academiae* hodiè ad huc professore celeberrimo, alijsq; Orthodoxis *Ecclesiae* doctoribus: aliquantisper quidem ibi moratus, tum ob eam quam dixi causam, tum ut ingenia & artes adversario-  
rum

Anno 1584.